

§ III. DE ULTIMIS SYLLABIS

A IN FINE

563. Producent a in fine vocativi ab *as* sive primae, ut *Aeneā*, sive tertiae, quorum genitivus in *antis*, ut *Pallā*, (a *Pallas*, *antis*), *Atlā*.
(Virg. Aen. 3. 41). *Quid miserum, Aeneā, lacerus? jam parce sepulto.*
(Ovid. Met. 4. 643). *Tempus, Atlā, veniet tuo quo spoliabitur auro.*

E IN FINE

564. Producitur e in prima declinatione, ut *Calliopē*, et in *tempē ac cetē*, nam per *eta* scribuntur.

I ET Y IN FINE

565. Corripiunt *i* et *y* in imparisyllabica declinatione, quae in *i vel y* exeunt, ut *Pallādī*, *Daphnī*, *molī*.
(Virg. Ecl. 9. 50). *Insere, Daphnī, pyros, carpent tua poma nepotes.*

O IN FINE

566. Longa sunt quamplurima, quae omega finiuntur, ut *Androgeō*, *Athō*, *Cliō*, *Alectō*, *Eratō*, *Didō*, etc.

N IN FINE

567. Nlittera finita longa sunt, ut *Titān*, *Sirēn*, *Salamīn*, *Actaeōn*, *Aeneān*, *Anchīsen*, *Calliopēn*, *Chalybōn*.
(Virg. Aen. 11. 940). *Et saevum Aeneān agnovit Turnus in armis.*
(Id. Aen. 3. 710). *Amitto Anchīsen: hic me, pater optime, fessum.*

Corripiuntur tamen 1.º finita in *on*, quae ad secundam nostram declinationem spectant, ut *Peliōn*, *Iliōn*.
(Ovid. Heroid. 13. 53). *Iliōn et Tenedos, Simoisque et Xanthus et Ide.*

2.º Omnes accusandi casus, qui a nominibus ultimam brevem habentibus proficiuntur, ut *Scorpiōn*, *Tethīn*, *Ityēn*, *Majān*, *Aegīnān*.
(Ovid. Met. 6. 652). *Tantaque nox animi est, Ityēn huc arcessite, dixit.*
(Lucan. 4. 659). *Scorpiōn incendis cauda, chelasque peruris.*

R IN FINE

568. Producentur nomina, quorum genitivus est in *eris*, ut *aethēr*, *cratēr*, *aēr*, (*αἰθήρ*, *κρατήρ*, *αἴρ*).
(Lucan. 5. 499). *Inde mane, inde aēr, inde aethēr ignifer ipse.*

As ET ES IN FINE

569. *As* finita longa sunt, ut *Aeneās*, *Calchās*, *Pallās antis*.
(Virg. Aen. 10. 85). *Aeneās ignarus abest, ignarus et absit.*
Excipiuntur 4.º ea, quae genitivum habent in *adis*, ut *Arcās ādis*, *Pallās ādis*, *Najās ādis*.
(Ovid. Met. 6. 26). *Pallās anum simulat falsosque in tempora canos.*

2.º Accusativi plurales nominum tertiae declinationis, ut *Troās*, *delphinās*, *heroās*.
(Virg. Ecl. 4. 46). *Permixtos heroās et ipse videbitur illis.*

570. *Es* finita longa sunt, praeter casus plurales tertiae, ut *daemonēs*, *rhetorēs*, *amazonēs*, *Arcadēs*, *Troēs*.
(Virg. Aen. 6. 743). *Tum pater Anchīsēs: animae quibus altera fato.*
(Id. Ecl. 7. 4). *Ambo florentes aetatibus, Arcadēs ambo.*
(Id. Aen. 4. 172). *Egressi optata potiuntur Troēs arena.*

Is, ys, os, us IN FINE

571. *Is* et *ys* finita corripiuntur, praeter nominativos, quorum genitivi sunt in *inis*, *entis* aut *itis*, penultima producta, ut *Salamīs*, *Simoīs*.
(Virg. Ecl. 4. 34). *Alter erit tum Tiphys et altera, quae vehat Argo.*
(Ovid. Heroid. 4. 33). *Hac ibat Simoīs, hic est Sigeia tellus.*

572. Longa quae omega scribuntur, ut *Trōs*, *Minoīs*, *herōs*, *Athōs*, etc.
N. B. Per omicron scribuntur: 1.º neutra, ut *chaōs*, *melōs*, *argōs*; 2.º *os* finita, quae ad secundam Latinorum declinationem transeunt, ut *Tyrōs*, *Arctōs*, *Iliōs*; 3.º genitivi in *os* omnes, ut *Arcadōs*, *Palladōs*, *Tethyōs*, *Tereōs*.
(Virg. Aen. 6. 432). *Quaesitor Minoīs urnam movet; ille silentum.*
(Id. Aen. 6. 265). *Et chaōs et Phlegeton, loca nocte silentia late.*
(Ovid. Heroid. 4. 48). *Iliōs et murus, quod fuit ante solum.*
(Id. Met. 4. 218). *Arcadōs hinc sedes et inhospita tecta tyranni.*

573. Producentur nomina in *us*, quorum genitivus exit in *untis*, ut *Opūs*, *Amathūs*, et quae ex *ποῦς*, *ποδός*, componuntur, ut *tripūs*, *Melampūs*. Quaeque ex *oos* contrahuntur, ut *Panthūs* ex *Panthoos*. Item genitivi in *us* a femininis in *o* ut *Manto*, *Mantūs*, *Clio Cliūs*, etc., quae etiam ex *oos* contrahuntur.
(Virg. Aen. 10. 51). *Est Amathūs, et celsa mihi Paphus atque Cytera.*
(Id. Aen. 10. 499). *Fatidicae Mentūs et Tusci filius amnis.*

Huc etiam *Iesus* (Ἰησοῦς) sacrosanctum Domini atque Redemptoris nostri nomen spectat.
Us tandem finita non contracta, ab *os* syllaba profecta, corripiuntur, *Pamphagūs*, *Oribasūs*, *Polyppūs*.
(Ovid. Met. 3. 210). *Pamphagūs et Dorceus et Oribasūs Arcades omnes.*

CAPUT VIII

DE ARTE METRICA

ADMONITIO. Non omnia quae ad hanc artem spectant, ut est apud P. Paria, sunt tradenda tironibus, qui nonnisi in hexametris et pentametris et nonnullis lyricis initio exercendi sunt.

ARTICULUS I. RHYTHMUS EJUSQUE PARTES

574. Quemadmodum ars harmonica sonorum (μέλος), orchestra vero motuum corporis (κίνησις σωματική), sic ars metrica vocum (λέξις) *numerum* seu, ut graeci dicunt, *rhythmum* (ῥυθμός) persequitur. Tria illa quibus potest applicari rhythmus vocantur ῥυθμιζόμενα.

575. *Rhythmus* est ordinata et perpetua eorumdem temporum successio. Haec quidem tempora vel possunt constare diversa duratione, vel eandem habere, sed quibusdam quasi per-

cussionibus (quas latini *ictus*, graeci *σημασίας* appellant) paribus intervallis distinctam, vel tandem utrumque conjungere. Ars metrica vernacula altera tantum ratione, *ictu* nempe, rhythmum claudit; latina vero et graeca utrumque complectitur *durationem* scilicet et *ictum*.

576. *Durationis* vel *quantitatis* (n. 497) mensura est spatium qua brevis syllaba pronuntiatur, et dicitur *mora*, graece *χρόνος* πρώτος: nec tamen absoluta est, sed relativa, ita ut in eodem rhythmum possit pro rata portione variari (1). *Ictus* est vocis quaedam contentio, quam graece *arsin* (ἄρσις), latine *sublationem* appellant; pars in qua vox remittitur vocatur *thesis* (θέσις), latine *positio* [542] (2).

577. Plurium morarum conjunctio parit *tempus compositum*, et vocatur *diseimon*, *triseimon*, *tetraseimon*, etc. (χρόνος δίσημος, τρῖσημος, τετράσημος, etc.) prout duas, tres, etc. moras contineat. *Tempus compositum* dicitur *rheton* (χρόνος ῥητός) i. e. *rationalis*, quando in plures moras potest exacte dividi; secus dicitur *alogon* i. e. *irrationale* (χρόνος ἄλογος). *Productio* major justo, quae syllabis aliquando tribuitur, appellatur *τονή*. Partem rhythmici, cui nulla syllaba respondet, vocant *tempus vacuum* (χρόνος κενός).

ARTICULUS II. DE PEDIBUS [514-520]

578. *Pes* est pars versus certo syllabarum numero atque ordine definita. Continet *arsim* et *thesim*: *arsis* fere in syllaba longa, *thesis* in brevi invenitur; si tamen longa, cui respondet *arsis*, in duas breves dividatur, harum priori apponenda erit *arsis*; quum vero duae breves quae *thesim* conficiunt coeunt in unam longam, haec *thesim* habet.

(1) In musica requiritur temporis mensura absoluta et fixa, quae vocatur *tempo* (ἄγωγι).

(2) Apud priscos graecos haec nomina contrariam significationem obtinuerunt: quum enim rhythmum manus vel pedis motu metirentur in saltationibus, *positione* (τίθεναι τὸν πόδα) vocis percussionem significabant, *sublatione* vero (αἴρειν τὸν πόδα) demissionem. Jura Graecorum vindicat Gleditsch (*Metrik der Griechen und Römer*, n. 4), cui alii etiam suffragantur. Non censuimus deserendam P. Alvari sententiam, quae etiam inter recentiores grammaticos frequentissima videtur.

579. Praecipui pedes sunt (1):

α) dissyllabi:

- υ υ Pyrrichius (πυρρίχιος): *fūrōr*.
- υ - Iambus (ἰάμβος): *vīrōs*.
- υ Choreus vel trochaeus (χορευῖος, τροχαιῖος): *ārmā*.
- - Spondeus (σπονδεῖος): *pōssūnt*.

β) trisyllabi:


- υ υ υ Tribrachys (τριβραχῖος): *fācērē* (2).
- υ υ Dactylus (δάκτυλος): *cōrpōrā*.
- υ υ - Anapaestus (ἀνάπαιστος): *ānīmōs*.
- υ - - Bacchius (βακχεῖος): *pārābūnt*.
- - υ Antibacchius vel palimbacchius (παλιμβακχεῖος): *aūdissē*.
- υ - υ Scholius seu amphibrachys (ἀμφίβραχος): *pōēmā*.
- υ - Creticus seu amphimacer (ἀμφίμακρος): *māximōs*.
- - - Molossus (μολοσσός): *cōntendūnt*.






γ) quadrisyllabi:

- υ υ υ υ Proceleusmaticus (προκελευσματικός): *ābiētē*.
- υ υ υ Paeon primus (παίων πρώτος): *tēmpōribūs*.
- υ - υ υ » secundus (» δεύτερος): *dōcēbimūs*.
- υ υ - υ » tertius (» τρίτος): *ānīmātūs*.
- υ - - υ » quartus (» τέταρτος): *cālāmītās*.
- - - υ Ionicus a majore (ιονικός ἀπὸ μείζονος): *cālcārībūs*.
- υ - - - » a minore (» ἀπ' ἐλάττονος): *fūgīēndōs*.
- - - υ Choriambus (χοριαμβος): *nōbilitās*.
- - - υ Dichoreus vel ditrochaeus (διτροχαιος): *cīvītātē*.
- υ - - - Diiambus (δίαμβος): *pērūtīlēs*.
- υ - - - Antipastus (ἀντίπαιστος): *rēcūsātē*.
- υ - - - Epitritus primus (ἐπίτριτος πρώτος): *rēpūgnārūnt*.
- - - υ » secundus (» δεύτερος): *cōndītōrēs*.
- - - υ » tertius (» τρίτος): *dīscōrdiāe*.
- - - υ » quartus (» τέταρτος): *fōrtūnātūs*.
- - - - Dispondeus (δισπονδεῖος): *ōrātōrēs*.

(1) Pedes *rhythmici* proprie solum ii dicuntur, qui habent alteram saltem syllabam longam, alteram brevem. Qui solis longis aut brevibus syllabis coalescunt, modo pedi rhythmico aequalem habeant *durationem*, dicuntur *metrici*. Dactylus vero, anapaestus et paeon, quum syllabarum quantitatem immutant ut alieno rhythmum immisceantur, solent *ciclici* appellari.

(2) A Cicerone et Quintiliano trochaeus dicitur.

Quod si quantum temporis musici tribuunt huic signo , tantam mora vel χρόνος πρώτος (n. 576) habeat durationem, hoc etiam modo possunt pedes repraesentari:

iambus		dactylus	
trochaeus		anapaestus	 etc.
spondeus			

N. B. Ut apparet, pedes quadrisyllabi magna ex parte componuntur ex dissyllabis geminatis.

580. Pedes dividuntur in α) simplices et β) compositos.

α) Simples. 1.º Ex diverso situ arseos, sunt descendentes et ascendentes: descendentes nempe, si praecedit arsis: v. gr. dactylus $\overset{\text{—}}{\cup}\cup\cup$, choreus $\overset{\text{—}}{\cup}\cup$; ascendentes vero, si subsequitur: v. gr. iambus $\cup\overset{\text{—}}{\cup}$, anapaestus $\cup\cup\overset{\text{—}}{\cup}$.

Thesim pedum ascendentium recentiores vocant *anacrusim*, quae in musica hodierna extra intervallum (*compás*) cadit, qua ratione rhythmici ascendentes ad descendentes reducuntur: v. gr.

rhythmus iambicus	 etc.
rhythmus anapaesticus	 etc.

2.º Ex diverso respectu, qui habetur arsim inter et thesim, exurgit genus *par* (γένος ἴσον) $\frac{1}{1}$, *duplum* (δουπλάσιον) $\frac{2}{1}$, et *sesquialterum* (ἡμιόλιον) $\frac{3}{2}$. In genere *pári* habentur pedes praecipui dactylus $\overset{\text{—}}{\cup}\cup\cup$ et anapaestus $\cup\cup\overset{\text{—}}{\cup}$, ex quibus contractione vel dissolutione syllabarum ducuntur proceleusmaticus $\overset{\text{—}}{\cup}\cup\cup = \overset{\text{—}}{\cup}\cup\cup\cup$ et spondeus $\overset{\text{—}}{\cup}\cup = \overset{\text{—}}{\cup}\cup\cup$. Ictus ponitur in prima mora syllabae longae, vel in brevi quae illi respondet. Pedes *impares* possunt reduci ad iambum vel trochaeum; in ictu eadem regula servatur. Ad tertium denique genus pertinet creticus $\overset{\text{—}}{\cup}\cup\overset{\text{—}}{\cup}$, bacchius $\cup\overset{\text{—}}{\cup}\overset{\text{—}}{\cup}$ etc.

β) *Compositi* sunt, qui ex duobus constant, ideoque appellantur *dipodiae*. Hoc autem fit 1.º iteratione ejusdem pedis; 2.º diversorum conjunctione.

1.º Pedes qui saepius geminantur sunt trochaeus, iambus et anapaestus, et pariunt *dipodiam trochaicam, iambicam et anapaesticam*.

2.º Quum conjunguntur pedes, qui diversum rhythmum continent, ille qui alieno rhythmum immiscetur, si brevior est, producit (τονή); si lon-

gior, in breviorum contrahitur. Sic spondeus immixtus rhythmum trochaicum vel iambicum, alteram syllabam corripit: si vero dipodiae trochaicae ($\overset{\text{—}}{\cup}\overset{\text{—}}{\cup}$) immittis choriambum $\overset{\text{—}}{\cup}\cup\overset{\text{—}}{\cup}$, primum duae breves erunt in unam brevem contrahendae, deinde postremae syllabae longae adjicienda erit mora, ut alteri trochaeo respondeat.

ARTICULUS III. MEMBRA

581. Partes versus, quas sub *primario ictu* conjungimus, latini vocant *membra*, graeci κῶλα. Pro numero pedum dicuntur *dipodiae, tripodiae, tetrapodiae* etc. Pes (vel dipodia) in qua habetur ictus primarius, dicitur *arsis*, caeteri constituunt *thesim*.

N. B. Ex dictis (n. 580. α. 2.º) erunt membra *paria* dipodia et tetrapodia, *dupla* tripodia et hexapodia, *sesquialterum* pentapodia.

582. *Membrum catalecticum* illud est, quod aliqua syllaba spoliatur in fine, quae quidem aut prioris productione suppletur (τονή), aut cessatione (χρόνος κενός): in media dictione tantum prioris productione (1). Dicitur *catalecticum in syllabam* vel *in dissyllabum*, prout pes postremus unam aut duas syllabas retineat: sic hexameter dactylicus est versus *catalecticum in*

(1) Haec suis etiam signis solent repraesentari hoc modo:

τονή δίχρονος	vel duorum temporum	—
» τρίχρονος	vel trium	└
» τετράχρονος	vel quatuor	└└
» πεντάχρονος	vel quinque	└└└

Χρόνος κενός μονόχρονος seu unius temporis exprimitur graeca littera Λ, quia graece appellatur λείμμα, cui litterae ad longiora tempora significanda superiores etiam notae imponuntur hoc modo:

χρόνος κενός δίχρονος	Λ̄
» » τρίχρονος	Λ̄
» » τετράχρονος	Λ̄

Unde v. gr. carmen elegiacum, quod pentametrum vocant, ita posset indicari (Cf. n. 591):

Et subi	to ca	su	quae valu	ere ru	unt

dissyllabum, pentameter vero *in syllabam*. *Acatalecticum* est cui nihil deest. *Brachycatalecticum* membrum est, in quo pes integer desideratur; vel melius cujus postremi duo pedes thesi spoliatur.

N. B. 1.^o Si *catalexis* est initio vel in medio, membra dicuntur *procatalectica*, si habetur in medio et in fine, ut in pentametro, *dicatalectica*. *Hypercatalectica* illa sunt, in quibus redundat syllaba, quae supplet vel catalexim prioris membri, vel procatalexim sequentis.

N. B. 2.^o Haec omnia dicuntur pariter de versu.

ARTICULUS IV. DE VERSU [531-539]

583. *Versus* est oratio certo genere, numero et ordine pedum alligata. Vocatur etiam *periodus*, *metrum*, *στίχος* [521].

Pro numero membrorum appellatur *dicolos*, *tricolos*, *tetracolos*; quem numerum raro excedit. Si postremum membrum brevius est quam caetera, versus dicitur *epodicus*; *purus*, si uno tantum genere pedum constat, *compositus*, si alia membra alios habent pedes, *mixtus* denique, si diversi pedes in eodem membro conjunguntur.

584. Versus metimur communi quadam mensura, quam *metrum* vel *basim* vocamus. Pro *metrorum* numero versus dicitur *dimeter*, *trimeter*, *tetrameter*, *pentameter*, *hexameter*, *hypermeter* denique, si mensuram excedit. *Metrum* vel *basis* constat *dipodia* in versu trochaico, iambico et anapaestico, in caeteris fere simplici pede. Sic v. gr. *trochaicus trimeter* est versus constans ex tribus dipodiis trochaicis, i. e. sex pedibus trochaicis: *hexameter* vero *dactylicus* est versus sex dactylis compactus.

585. In medio versu vocalis aut diphthongus praecedentis dictionis a sequenti excipitur et quodammodo absorbetur per *synaloephen*, ad tollendam hiatus asperitatem.

(Virg. Aen. 2. 1). *Conticuer' omnes, intentiqu' ora tenebant.*

N. B. 1.^o *O*, *hei*, *ah*, *heu*, *hui*, et cui monosyllabum, sequente vocali aut diphthongo, integra manere solent.

(Virg. Aen. 40. 48). *O pater, o hominum divumque aeterna potestas.*
(Stat. Theb. 5. 613). *HEU ubi siderei vultus? ubi verba ligatis?*

N. B. 2.^o Interdum nec vocalis nec diphthongus a sequenti vocali excipitur: id autem multo rarius accidit, si vocalis brevis sit.

(Virg. G. 4. 437). *GLAUCO et PANOPEAE et Inoo Melicertae.*
(Id. Aen. 1. 405). *Et vera incessu patuit DEA: ille ubi matrem.*

N. B. 3.^o *Synaloephe* non modo in eodem carmine, sed in diversis etiam locum habet. (Virg. G. 3. 449). *Et spumas miscent argenti, vivaque SULPHURA,*
Idaeasque pices, etc.

Ubi ultima vocalis praecedentis versus absorbetur a prima sequentis, ideoque versus est *hypermeter*.

N. B. 4.^o *Asynarteti* dicuntur versus, qui in medio admittunt catalexim, et quorum prius membrum potest in fine omittere *synaloephen*, et syllabam communem et alia quae ad finem versus propriae spectant, accipere; pro integro enim carmine habetur.

Ejusmodi est archilochius iambelegus (n. 608) v. gr. (Hor. Ep. 13). *Levare diris pectorâ || sollicitudinibus.*

586. Per *Ecthlipsim* etiam *m* littera simul cum vocali praecedenti eliditur ob sequentem vocalem.

(Virg. Aen. 3. 525).

ITALI(am) *Italiam primus conclamat Achates.*

(Pers. Sat. 1. 1).

O curas HOMIN(um), o QUANT(um) est in rebus inane.

N. B. 1.^o Prisci litteram *m* cum vocali correpta servabant. (Lucr. N. R. 1. 437). *CORPORUM augebit numerum summamque sequetur.*

N. B. 2.^o *Ecthlipsis* etiam in diversis carminibus locum habet. (Virg. Aen. 7. 460). *Jamque iter emensi, turres ac tecta LATINOR(um)*
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.

N. B. 3.^o Prisci poetae litteram *s* passim, etiam sequente consona, elidebant: quod si deinde concurrerent vocales, prior a posteriore per *synaloephen* excipiebatur. (Enn. Ap. Gell. N. A. 12. 4). *Suavis homo, FACUNDU(s), suo CONTENTU(s); beatus,*
SCITU(s), secunda loquens in tempore, COMMODU(s), verbum.

587. Ubi pes carminis simul cum dictione non finitur, sed duplicis dictionis syllabis constat, *caesuram* habere dicitur; quae quidem *masculina* appellatur, si dictio arsim inter et thesim absoluitur, ut

(Virg. Aen. 1. 15).

Arma virumque cano || Trojae qui primus ab oris.

feminina vero, si inter syllabas theseos verbum subsistit: v. gr. (id. ib. 9). *Quidve dolens regina || deum tot-volvere casus.*

ARTICULUS V. DE FIGURIS QUAE SPECTANTUR IN VERSU [531-539]

588. Praeter figuras quas proposuimus in Analogia (n. 206) in versu spectantur etiam sequentes:

1.^o *Synaeresis* vel *synizesis* est syllabarum duarum in unam contractio, ut fit in sequentibus casibus:

1. *Ai.* (Ter. Andr. 2. 6. 19). *Ait nimium parce facere sumptum.*—*Ait nimi-* dactylus est.
2. *Ea.* (Virg. G. 4. 34). *ALVEARIA vimine texta.*—*Vearia* dactylus est.
3. *Ee.* (Id. Aen. 7. 262). *Trojaeve opulenta DEERIT.*—*Deerit* spondeus est.
4. *Ei.* (Id. Aen. 4. 726). *Laquearibus AUREIS.*—*Aureis* spondeus est.
5. *Eo.* (Id. Aen. 7. 33). *Fluminis ALVEO.*—*Alveo* spondeus est.
6. *Ia.* (Id. Aen. 6. 33). *Quin protinus OMNIA.*—*Omnia* spondeus est.
7. *Ie.* (Id. Aen. 41. 667). *Transverberat ABIETE pectus.*—*Abiete* dactylus est.
8. *Ii.* (Id. Aen. 3. 538). *DII maris et terrae.*—*Dii maris* dactylus est.
9. *Io.* (Id. Aen. 8. 184). *SEMIHOMINIS Caci.*—*Semihomi-* dactylus est.
10. *Iu.* (Id. Aen. 3. 578). *SEMIUSTUM fulmine.*—*Miustum* spondeus est.
11. *Oa.* (Hor. Sat. 2. 3. 91). *QUOAD viavit.*—*Quoad* aequivalet monosyllabo.
12. *Oe.* (Ter. Heaut. 5. 4. 6). *OHE jam desine.*—*Ohe jam* spondeus est.
13. *Oi.* (Virg. Aen. 41. 383). *PROINDE tona eloquio.*—*Proinde to-* dactylus est.
14. *Oo.* (Lucr. N. R. 6. 490). *COOPERIANT Maria.*—*Cooperi-* dactylus est.
15. *Ou.* (Hor. Sat. 2. 6. 67). *PROUT cuiqui libido est.*—*Prout* monosyllabum est.
16. *Ua.* (Virg. Aen. 5. 432). *GENUA labant.*—*Genua la-* dactylus est.
17. *Ue.* (Id. G. 2. 429). *MISCUERUNTQUE.*—*Miscue-* spondeus est.
18. *Ui.* (Id. G. 4. 397). *TENUIA nec lanae.*—*Tenuia* dactylus est.
19. *Uo.* (Accius. Ap. Cic. Div. 1. 22). *DUOS consanguineos.*—*Duos con-* spondeus est.
20. *Uu.* (Martial. Ep. 2. 5). *MILLIA PASSUUM.*—*Passuum* spondeus est.

N. B. Liberores in contractionibus sunt comici poëtae.

2.° *Diaeresis* est syllabae unius in duas divisio, ut *aurai* trisyllabum pro *aurae* dissyllabo; *siluae* pro *silvae*, *evoluam* pro *evolvam*, *iam* dissyllabum apud comicos pro *jam* monosyllabo.

(Virg. Aen. 6. 747). *Aetherium sensum atque AURAI simplicis ignem.*
(Hor. Ep. 13. 2). *Nivesque deducunt Jovem; nunc mare nunc SILVAE.*
(Catul. 66. 74). *Condita quin veri pectoris EVOLUAM.*

3.° *Systole* est, quum aut syllaba natura longa corripitur, ut *steterunt*, *dedērunt*, *occidērunt*; aut etiam longa positione, altera tamen consonante extrita, fit brevis, ut *ōbicis* pro *ōbjicis*, *ābici* pro *ābjici*. (Cf. n. 511. N. B. 3.°).

(Lucan. Phars. 8. 796). *Cur OBICIS magno tumulum manesque vagantes?*

4.° *Ectasis* sive *Diastole* est, quum syllaba natura brevis producitur vel simpliciter, vel geminata sequente consona, ut *Dēiphobus*, *relligio*.

(Virg. Aen. 6. 495). *DEIPHOBUM vidit lacerum crudeliter ora.*
(Id. Aen. 2. 715). *RELLIGIONE patrum multos servata per annos.*

N. B. Duriora sunt illa, quae interdum sunt apud Lucanum, *reccidere*, *rellatum*, *refugisse*, *remmota*, etc.

ARTICULUS VI. DE ALIQUIBUS VERSUUM SPECIEBUS [521-530]

§ I. RHYTHMUS DACTYLICUS

589. *Hexametrum* est carmen dactylicum, quod constat sex pedibus, quorum quintus dactylus est, sextus spondeus, reli-

qui promiscue dactyli vel spondei. Est versus *catalecticus in dissyllabum*.

(Virg. Aen. 2. 363).

Urbs ān | tīquā rū | it mūl | tōs dōmī | nātā pēr | ānnōs.

N. B. Quintus pes nonnumquam spondeus est: unde versus *spondaicus* appellatur; quo vel rei alicujus gravitas et amplitudo, vel ingens moeror animique angor, vel aliud simile declaratur. Sic *Virg.*

(Ecl. 4. 40). *Cārā Dē | ūm sōbbē | tēs, māg | nūm Jōvis | incrē | mēntūm.*
(Aen. 2. 69). *Cōnstītūt | atque dōcē | tīs phrŷgŷa | āgmīnā | cīrcūm | spēcavit.*

590. [540-543]. Versus hexameter vel heroicus est *dicolos*, i. e. continet duo membra, quorum longitudo quatuor modis potest variari: has vero partes veteres grammatici sectiones sive caesuras appellant: *penthemimerem* (πενθημιμερής), *trochaicam* (κατὰ τριτον τροχαϊον), *hephthemimerem* (ἑφθημιμερής), et *bucolicam* sive *tetrapodiam* (βουκολική, τετραποδία) (1).

Penthemimeres latine *semiquinaria*, constat ex duobus pedibus et syllaba quae dictionem claudat. Haec omnium jucundissima est, quia versum ex aequo fere dividit.

— — — — —
(Virg. Aen. 1. 5). *Arma virumque cano, || Trojae qui primus ab oris.*

Trochaica post duos pedes habet trochaicum, qui dictionem terminet. Hac caesura parum latini delectantur, molliorem enim efficit versum, et plerumque alius caesurae societatem requirit.

— — — — —
(Virg. Aen. 1. 9). *Quidve dolens regina || deum tot volvere casus.*

Hepthemimeres, latine *semiseptenaria*, continet tres pedes et syllabam quae dictionem finiat. Alia secundaria caesura fere praemittenda est.

— — — — —
(Virg. Aen. 1. 46). *Ast ego quae Divum incedo || regina Jovisque.*

Bucolica seu *tetrapodia* fit, si semiseptenariae duas breves adjunxeris, tunc autem versus fit *epodicus*. (Vid. n. 583) (2).

(1) Caesura, si more veterum loquamur, non est syllaba quae post pedes superest, sed pars carminis simul cum syllaba aut syllabis quae dictionem finiant. Itaque *penthemimeres* non significat syllabam quae post duos pedes relinquatur, sed duos pedes simul cum syllaba; quod Quintilianus l. 9. c. 4. 78 apertissime docet: «Et quod, inquit, duobus pedibus et parte, πενθημιμερής a graecis dicitur.» Πενθημιμερής a πέντε *quinque* et ἡμισυ quod in compositione ἡμυ dicitur, hoc est *semis*, et μέρις quod *partem* significat. Vide, si lubet, plura apud P. Alvarum n. 542).

(2) Haec caesura, inquit Diomedes l. 3. βουκολική appellatur, quod Theocritus auctor carminis bucolici hac plurimum esse usus creditur. Sed utcumque sit, certe Virgi-

(Virg. Ecl. 1. 55). *Namque erit ille mihi semper Deus, || illius aram.*
Elegantissima est haec caesura, si quartus pes est dactylus et integra dictione constans.

N. B. Si pedes versus heroici e singulis verbis constent, ineptum atque insulsum fit carmen, ut

Aurea scribis carmina, Juli maxime vatam.
Injucunda etiam illa sunt, quae femininis tantum caesuris intersecantur, ut
Sole cadente juvencus aratra reliquit in arco.

Contra si verba connectantur, ita ut mutuo amplexu pedes alii ex aliis pendeant, pulcherrimus efficitur versus, ut

(Virg. Aen. 1. 609). *Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.*
(id. ib. 630). *Non ignara mali miseris succurrere disco.*
(id. ib. 523). *Justitiaque dedit gentes frenare superbas.*

Caesurae denique tunc optimae censentur, quum ibi praecedunt carmen, ubi sensus cessationem requirit.

591. *Carmen elegiacum*, quod fere comitatur hexametrum et improprie *pentametrum* appellatur, habet duos priores pedes dactylos vel spondeos pro cujusque arbitrio, adjuncta syllaba longa, quae *caesura* vel *semipes* dicitur: tum sequuntur duo dactyli, quibus caesura itidem adjungitur.

(Ov. Pont. 4. 3. 36). *Et sibi|tō cā|sū | quāe vālū|ērē rū|unt.*

Proprie est *hexametrum dicatalecticum*, constat enim duobus trimetris datylicis catalecticis in syllabam. Duplex illa caesura est arsis duorum pedum, quorum singulae theses singulis cessationibus dichronis suplentur. (Cf. n. 582 not.).

592. *Adonius* constat dactylo et spondeo vel trochaeo; est dimeter catalecticis in dissyllabum (1).

(Hor. Od. 1. 22). *Fusce pharetra.*

593. *Archilochius minor* constat duobus dactylis et syllaba; est trimeter catalecticis in syllabam.

(Hor. Epod. 15). *Nunc mare nunc silvae.*

594. *Alcmanius* constat tribus dactylis vel spondeis et dactylo, habetque caesuram semiquinariam. Est tetrameter acatalecticis.

(Senec. Hip. 758). *Anceps forma bonum mortalibus.*

lius vehementer hac caesura delectabatur; nulla enim fere est pagina, in qua non repariatur semel, interdum ter, et quater; quinquies idque in Aen. 1. 433, 445, 450, 454, 459.

(1). Posset etiam dici choriambicus monometer hypermeter.

Admittit etiam in postrema sede spondeum vel syllabam tantum, et caesuram semiternariam.

(Hor. Od. 1. 7). *Aut Ephesum, bimarivse Corinthi.*

§ II. RHYTHMUS ANAPAESTICUS

595. Pes anapaesticus potest ita mutari (n. 580. β. 2.º): ideo potest suppleri a spondeo, proceleusmatico et dactylo. Versum anapaesticum metimur dipodia, cujus arsis ponitur in priore pede (n. 584).

Invenitur monometer

(Sen. Hip. 1. 62). *Leviore manu.*
(id. ib. 3. 9). *Nudent silvas.*
(id. ib. 1. 80). *Eu diva fave.*
(id. ib. 1. 58). *Potat Araxem.*

Sed multo usitatior est dimeter acatalecticis

(Senec. Her. 4. 1 seqq.). *Lugeat aether, magnusque parens*
Aetheris alli, tellusque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda.
(id. Hip. 1124 seqq.) *Quanti casus humana rotant!*
Minor in parvis fortuna furit,
Leviusque ferit leviora deus,
Servat placidos obscura quies,
Praebetque senes casa securos.

§ III. RHYTHMUS TROCHAEICUS

596. Constat trochaeis, quamvis admittit etiam, maxime apud comicos, tribrachym in sedibus disparibus, et nonnumquam spondeum vel dactylum alogon in paribus: metimur fere dipodiis, quarum in priore pede ponitur arsis.

Frequentiores sunt versus

1.º dimeter catalecticis

(Hor. Od. 2. 18). *Non ebur neque aureum.*
Largiora flagito.
Truditur dies die.

(Sen. Oedip. 4. 28). *Quidquid excessit modum*
Pendet instabili loco.

2.º tetrameter catalecticis, qui constat dimetro acatalectico et dimetro catalectico, ideoque frequenter in duos dimetros divisus reperitur.

(Prud. Cathemer. 1208). *Corde natus ex parentis—ante mundi exordium.*

(Senec. Hip. 5. 1). *Pallidi fauces averni—vosque taenarei specus.*
Acatalectici rari sunt.

§ IV. RHYTHMUS IAMBICUS

597. *Iambum* numeramus etiam dipodiis, arsis ponitur in priore pede. Dividitur 1.° Ratione qualitatis pedum, quibus constat, in *purum* seu *sincerum*, et *mixtum*.

Purus iambicus est, qui solis iambis constat, ut
(Hor. Ep. 1. 3). *Pārā|tūs om|nē Cā|sārīs | pērī|cūlūm.*
(id. ib. 2. 1). *Bēā|tūs il|lē quī | prōcūl | nēgō|tūs.*

Mixtus iambicus est, qui pedes alios a iambo commixtos habet, ut *Seneca*:
Fert lā|vā sē|mistās | fācēs | ārdēt|quē pāl|lētēs | gēnā.
(Hor. Ep. 2. 35). *Pāvidūm|quē lēpō|rem et ad|vēmām | lūquō | grūēm.*
(id. Ep. 4. 6). *Fōrtū|nā nōn | mūtāt | gēnūs.*

598. Iambici carminis non sinceri hae sunt leges:

- 1.° Ut nullus pes sit *trochaeus*.
- 2.° Ut semper ultima sedes iambo tribuatur. Porro ultima sedes in catalectis est, quae ultimam syllabam praecedat.
- 3.° Ut in locis paribus, excepto ultimo, admittat apud tragicos tribrachym; in imparibus vero, praeter tribrachym, etiam spondeum, ejusque dissolutiones dactylum atque anapaestum, interdum proceleusmaticum.

N. B. 1.° Apud Senecam tertia in sede vix anapaestum, in quinta vix iambum dactylumve reperies: in qua tamen fere aut spondeum reperies aut anapaestum.

Hos omnes pedes Plautus ac Terentius ad pares quoque locos adsciscunt, praeter ultimum, in quo semper est iambus.

Apud lyricos et hymnographos in locis paribus praeter iambum raro tribrachys adhibetur; in imparibus, praeter iambum aut spondeum, raro pedes trisyllabi.

N. B. 2.° Seneca saepe pedes trisyllabos in senariis miscet, quod apud Horatium raro reperies. Terentius plurimos habet, in quibus, praeter ultimum, nullus alius est iambus, imo interdum omnes sunt, excepto ultimo, spondei, ut
(Eun. prol. 44). *Nūllum est | jān dīc | tūm, quōd | nōn dīc | tūm sūt | prīus?*

599. Dividitur 2.° Ratione numeri pedum, in *quaternarios* vel *dimetros*, *senarios* vel *trimetros*, *octonarios* vel *tetrametros*.

Quaternarius vel dimeter est, qui constat quatuor pedibus, ut
(Hor. Ep. 2. 62). *Vidē|rē prōpē|rāntēs | dōmūm.*

Senarius vel trimeter sex pedibus constat, ut
(Catul. 29. 1). *Quis hōc | pōtēst | vidē|rē? quīs | pōtēst | pātī?*

Octonarius vel tetrameter octo pedibus constat, ut (Ter. Andr. 1. 2. 18).
Nūnc hāc | diēs | āllām | vītām āf|fert ālī|ōs mō|rēs pōs|tūlāt.

N. B. Octonarius est conjunctio duorum quaternariorum: ideo fere in duos distrahi possunt, ut

(Sen. Agam. 3. 465). *Instānt | sōrō | res squā | lūdā,*
Sānguīnē | ā jāc | tānt vēr | bērā.

600. Dividitur 3.° Ratione perfectionis pedum, in *acatalectos* et *catalectos*; quibus addi possunt *brachycatalecti* et *hypercatalecti*.

Acatalectus est, cui nihil deest, nihil superfluit, ut sunt omnes hactenus adducti.

Catalectus est, cui deest syllaba, ut

(Sen. Med. 4. 1). *Quōnām | crūēn|tā Mā|nās.*
(Hor. Od. 1. 4. 2). *Trāhūnt|quē sīc|cās mā|chīnā | cārī|nās.*
(Catull. 25. 5). *Quām dī|vā mā|tēr āl|itēs | ostēn|dīt oc|cinēn|tēs.*

N. B. 1.° *Brachycatalecti*, in quibus desideratur pes integer, rari sunt.

Hypercatalecti sunt, in quibus pes vel syllaba redundat.

(Hor. Od. 1. 9. 3). *Silvā | lūbō | rāntēs | gētū | quē.*

N. B. 2.° Suavissimi *anacreontici* sunt iambici quaternarii catalectici, qui primo loco anapaestum habent, ut

(Boet. 3. 7). *Hābēt om | nīs hōc | vōtūp | tas*
Sīmūlūs | āgīt | frūēn | tes
Apūm | quē pār | vōlāt | tum.

N. B. 3.° *Scazon* est iambicus trimeter acatalecticus, qui iambum habet quinto loco, sexto autem spondeum, ut

(Catul. 39. 16). *Nām rī | su īnēp | tō rēs | īnēp | tōr | nūlla est.*
(Martial. Ep. 4. 3). *Cūr īn | thēā | trūm, Cūtō | sēvē | rē, vē | nīsā?*
An īdē | tō tān | tūm vē | nērās, | ut ē | avīrēs?

Dicitur *scazon* (σχάζων), id est, *claudicans*, sive choliambus (χολιαμβός), id est, *claudus iambus*, quia deturbato e sexta sede iambo et substituto spondeo, videtur quasi claudicare.

§ V. RHYTHMUS LOGAOEDICUS

601. Ita appellantur versus coalescentes pedibus, qui inaequali tempore constant.

602. *Pherecratius secundus* constat adonio, quem, praecedat spondeus apud Horatium, trochaeus apud Catullum.

(Hor. Od. 1. 14). *Quamvis pontica pinus.* --, - - - , - - - (1).

N. B. Est et alius pherecratius acatalecticus, quem *primum* vocant, et dactylum cum duobus trochaeis continet.

(Hor. Od. 1. 8). *Lydia dic, per omnes.* - - - , - - - , - - -

603. *Glyconius* constat spondeo, dactylo et dipodia trochaica catalecta.

(Hor. Od. 1. 5). *Sic te diva potens Cypri,* --, - - - , - - - (2).
Ventorumque regat pater.

(1) Nonnulli numerant ut choriambum - - - , - - - , - - -

(2) » » » » - - - , - - - , - - -

604. *Asclepiadeus minor* constat pherecratio secundo et primo catalectis, quos caesura fere disjungit.

(Hor. Od. 1. 1). *Mecenas atavis edite regibus.* --, --, - || --, -, ♪ (1).

605. *Asclepiadeus major* inter utrumque membrum prioris interponit dactylum cum caesura.

(Hor. Od. 1. 18). *Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem.*

--, --, - || --, - || --, --, ♪

606. Pentapodia logaoedica duplex usurpatur

1.º --, --, --, --, --, quae vocatur *phaleucius hendecasyllabus*.

(Catull. 1). *Cui dono lepidum novum libellum.*

(Martial. Ep. 1. 53). *Commendo tibi, Quinctiane, nostros,*

Nostros dicere si tamen libellos

Possim, quos recitat tuus poeta.

2.º --, --, --, --, --, quae appellatur *sapphicus minor* vel *hendecasyllabus*; post alterum pedem fere adhibetur caesura.

(Hor. Od. 1. 22). *Integer vitae scelerisque purus.*

(id. ib. 1. 2). *Jam satis terris nivis atque dirae.*

N. B. Sapphicus major his syllabis constat: --, --, --, - || --, --, --, ♪
(Hor. Od. 1. 8). *Te deos, oro, Sybarim cur properes amando.*

607. *Alcaicus* triplex est:

1.º *enneasyllabus* proprie est dimeter iambicus hypercatalecticis, cujus tertius pes semper est spondeus, ex reliquis pares sunt iambi, impares vel spondei vel iambi.

(Hor. Od. 3. 2). *Matrona bellantis tyranni.* --, --, --, --, ♪

2.º *decasyllabus* acatalecticis constat dipodia duplici, altera dactylica, altera trochaica.

(Hor. Od. 1. 9). *Flumina constiterint acuto.* --, --, --, --, ♪

3.º *hendecasyllabus* constat tripodia iambica catalectica, et pherecratio primo catalecto; primum membrum claudit caesura, quae raro brevis est.

(Hor. Od. 2. 5). *Aequam memento rebus in arduis.* --, --, ♪ || --, --, ♪

608. *Archilochius iambelegus* constat quaternario acatalectico et archilochio minore (n. 595).

(Hor. Epod. 13). *Nivesque deducunt Jovem; nunc mare nunc silvae.*

--, --, --, ♪ || --, --, ♪

609. *Archilochius major* constat almanio (n. 594) et tripodia trochaica acatalectica.

(1) Nonnulli numerant ut choriambum --, --, -- || --, --, ♪

(Hor. Od. 1. 4). *Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni.*

--, --, --, -- || --, --, ♪

ARTICULUS VII. DE STROPHE

610. Ejusdem versus indefinita iteratio vocatur *monostichon* vel κατὰ στίχον. *Strophe* (στροφή) vel *systema* (σύστημα) vel *metrum* est ordo versuum qui identidem revertitur. Strophe pro numero versuum quibus constat appellatur *distichon*, *tristichon*, *tetra-stichon*; ex versuum vero qualitate dicitur *monocolos*, si omnes sunt ejusdem speciei; *dicolos*, si sunt duplicis; *tricolos* etc. (1).

611. *Distichon* proprie dicitur strophe, quae constat hexametro et pentametro; aliae strophae, quae duobus versibus, constant, vocantur *epodoi*.

612. Metrum *archilochium primum* constat hexametro dactylico et archilochio minore (n. 595).

(Hor. Od. 4. 7). *Diffugere nives, redeunt jam gramina campis*
Arboribusque comae.

Archilochium secundum constat hexametro dactylico et iambelego (n. 608).

(Hor. Ep. 13). *Horrida tempestas coelum contraxit, et imbres*
Nivesque deducunt Jovem: nunc mare nunc, silvae.

613. *Almanium* constat hexametro dactylico et almanico catalectico in dissyllabum (n. 594).

(Hor. Od. 1. 7). *Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen,*
Aut Ephesum, bimarisque Corinthi.

614. *Iambicum* constat senario et quaternario acatalectis (n. 599).

(Hor. Ep. 1). *Ibis Liburnis inter alla navium,*
Amice, propugnacula.

615. *Pithiambicum primum* constat hexametro dactylico et quaternario acatalecto.

(1) Antiqui vocabant *στροφή*, id est communia, illa poemata, in quibus strophae erant *monocoloi*; cujusmodi est apud Horatium carmen *asclepiadeum primum* constans quatuor asclepiadeis majoribus (n. 605) (Hor. Od. 1. 41), et *asclepiadeum secundum*, quod quatuor itidem asclepiadeis minoribus componitur (n. 604) (Hor. Od. 4. 4). *Maecenas atavis edite regibus, etc.*